

lis istis, quinto Methodi ex colocynthide, aloe, agarico, scammonea factis, quæ pro diuersis humoribus purgandis sunt optimæ; vel sumat cocchias vel cōfect. hamech. pillul. aggreg. pro humoribus adustis biliosis & pituitosis, quia omnes in ea pectant. Phlebotomia confert. Certè habet corpus valde repletum, præterea defecerunt menstrua (& in quibus menstrua non purgantur, semper redundat sanguis vsq; ad 60. annum) est & robusta admodum. Post syrupum secundum consulem, vt ex cephalica sanguinem mitteret. Deinde post purgationem vniuersalem habeat familiare purgans caput, ventriculum & hepar ac cor, ex rhab. aloe & agarico, cum euphragia, capillis Veneris, macis, & spica nardi, quo utatur quandoq;. Masticet mastichen solam, calida enim illi nocet. Auerstiones illi commodæ. cauterium in cruribus post euacuationes effet longè optimū collyrium lene & familiare.

R. Rad. althææ mundissimæ 3 viij.

Fœnugræci 3 iij.

In aqua coquatur ad remanentiam lib. j. Adde aloes optimæ 3 ij. Lotæ cum aqua violarū, & puluerizatae. Et decoquatur ad ignem lentū purum iterum, donec perueniat ad mellis crassitiem. Ex isto collyrio corroboratur oculus, & mundificatur: absterguntur humores circa pupillam.

Odus. Omnia à Montano bene dicta sunt. Ista diminutio visus fit propter humorum præsentia in oculo. Non negauerim etiam esse malam nutritionem, & crystallini & albuginei humoris, tū etiam vitrei. Nam in ista Magnifica Domina, cum humores sint depravati, non est mirum, si crystallinus humor, qui nutritur ex vitro, vt eo corrupto tempore etiam vitiatur. Vitreus autem vitriatur ex succis malis totius corporis. Cœcauitas palpebræ arguit ibi existentes humores, qui miscitum humore aqueo, faciunt impedimentum visus. laudo & omnia quæ dicta sunt à Montano, quo ad causas. Quò ad prognostica: Ista Domina nunc agit quinquagesimum annū, nō poterit facile recipere pristinam sanitatem ratione ætatis. Videntur tamen ne decidat in deterius. Totum quoque corpus purgetur: peccant enim plures in ea humores, pituitosi, biliosi, adusti & melancholici. Primo facta lenitione ventris, accipiat syrupos dictos, postea purgetur. Placet mihi etiam phlebotomia, quia ætas nō prohibet. Galenus phlebotomauit octogenarium. Facta conuenienti purgatione, deueniat ad particulares purgationes. Et sumat mastichen per os, pro masticatorio. Posset etiam diuertere materiam ad nares & loca propria: nam Galenus etiam idem fecit. Deinde vertatur collyrio dicto. Debemus cauere à valde exiccantibus indicatione sumpta à loco, quia tunicae oculi sunt tenuissimæ, & possent facile exiccati, adeò vt visio tota tolleretur. Diuerstiones. Ablat manu & pedes, clysteribus vtatur, sanguisuga applicetur hæmorrhoidibus: nam & ante sensit iuuamentum optimum.

CONSILIVM XCIX.

Ad ophthalmiam in sene.

R. Verbenæ

Rute

Chelidoniæ

Rosarum

Euphragiæ

Fœniculi

Betonicae

Saluiæ ana M. viij.

Contundantur & ponantur in balneo Mariæ per horas 24. Postea distillentur per alembicū vitreum, & seruetur aqua, quæ purificetur in sole p totum mensum, ita tamen vt non permittatur in aere noctis. Postea scripserat Italicè. Hac aqua lauet oculos suauiter absq; fricatione ad minimum bis in die: nec deterget, sed siccari permittat. Eidē pro purgatione in Vere.

R. Floris cassiæ 3 x.

Specierum hieræ 3 ij.

Succi rosarum

Verbenæ

Fœniculi

Rute ana 3 vj.

Syrupizentur cum saccharo purificato antea. Postea:

R. Huius syrupi 3 ij.

Decocti infrascripti 3 iiii.

Misce pro uno, sic pro aliis.

R. Foliorum rosarum 3 iij.

Seminis fœniculi

Chelidoniæ ana 3 ij.

Rute 3 j.

D Decoquantur in lib. iiij. aquæ euphragiæ donec remaneat vna. Nihil exterius applicari voluit, nisi si saluiæ aqua ablueret velit, nulla re alia.

C O N S I L I V M C.
De leui suffusione oculi dextræ, & preservatione.



A s v m enarrabat Frisimelica. Agutur aliquot menses, quod degit in aere frido & subtili, vbi erant venti, & exposuit se acti nocturno, deliquit in cibo & potu, comedens ostrea, & dulce vinum bibens: incidit inde in dolorem oculorum, à quo evadit primò: sed iterum incidēs, vocavit medicum, qui exhibuit cassiam, pillulas lucis, & ventosas: nunc patitur diminutionem visus, vt obscurè videat obiecta, etiam in debita distantia admota, & diminutè in longum. Et est oculus solus, qui patitur, reliquum corpus videtur sanū. Oculus patitur visionē diminutam, & obscuram, & adest humor, vt etiam sit mala temperies cum materia.

M O N T A N V S.

Ex quo constat Magnif. Dominum habere circa oculum dextrum, & in pupilla obscuritatem, quæ à nobis videtur, & ab ipso melius percipitur, cum aliquid vult intueri: videt enim quasi per nebula interpositam, & postea ex quacunque leui occasione, & delicto in cibo & potu, & rebus ceteris non naturalibus exacerbatur, fitque nebula densior, & dolet oculus, & inflammatur: ideo duo consideranda. Nebula, quæ est perpetua, & impedit visum: secundò, imbecillitas magna in oculi substantia, vt ex quacunq; leui causa doleat. Haec